

Bibliothecae Pestiensis  
Scholarum Piarum

Platus

Gradus

Series

Nrus.

Platus	Gradus	Series	Nrus.

P16/4/9ab



R, 4, 1, 34,

*Biblioth. Schol. Graec. B. 52*



SELECTÆ  
POSITIONES  
UNIVERSÆ  
PHILOSOPHIÆ,

*EX ILLUSTRIORIBUS*

Veterum, Recentiorumque  
Philosophorum placitis

*DESUMPTÆ.*

*QUAS SUB AUSPICIIS*

EXCELLENTISSIMI  
ILLUSTRISSIMI

*Ac*

REVERENDISSIMI DOMINI  
DOMINI COMITIS

FRANCISCI  
BARKOCZY

De SZALA,

Perpetui in Palocz, & Taverna, Episcopi Agri-  
ensis, Comitatum Heves, & Exterioris Szolnok U-  
nitorum Supremi, ac Perpetui Comitum, Tabulæ Septem-Viralis  
Affectoris, nec non Sacræ, Cæsareæ Regiæ Majestatis Consilia-  
rii Actualis Intimi,

DOMINI PRÆSULIS & PATRONI  
GRATIOSISSIMI.

BUDÆ, Typis Veronicæ Nottensteinin Viduæ, 1746.

PUBLICE  
*DISPUTANDAS PROPONIT*  
M. CHRISTOPHORUS, à San-  
ctissimo Nomine JESU.

è  
*Clericis Regularibus Schola-  
rum Piarum*

*SUB ASSISTENTIA*

R. P. ALEXII à S. M. MAGDA-  
LENA, ejusdem Ordinis Geometriæ,  
& Philosophiæ Professoris.

P E S T I N I ,


ANNO M. DCC. XLVI. Die      Men-  
sis Septembris.



R. 154



EXCELLENTISSIME  
ILLUSTRISSE ac REVERENDISSE  
DOMINE COMES



Alter jam labitur annus,  
ex quo munus hoc exiguum,  
atque ab EXCELLENTISSIMIS  
Virtutum TUARUM ornamentis  
decus, ac splendorem suum singularem

mutuaturum parare cæpi; quod vel ob  
 parvitatem, ac humilitatem suam fru-  
 ctu maximo sibi vendicavit amplissi-  
 mum Virtutum T U A R U M fulgorem,  
 pulcherrimaque Naturæ TUÆ ornamen-  
 ta, quorum in Comitatu publicam  
 hanc lucem subiret, & splendidissimis  
 fortis TUÆ radiis illuminatum aliqua fe-  
 licitatis parte potiretur. Cùm autem  
 omnium ferè, qui sua publici juris fa-  
 ciunt, ea consuetudo sit; ut in lau-  
 dem Eorum, quorum Venerationi res  
 suas inscribunt; mores, titulos, pro-  
 gressus feliciores, totam denique Fa-  
 miliam excutiant; noli mirari: quod  
 ego (cujus eloquentiam si cum ampli-  
 tudine gloriæ, ac Majestatis TUÆ com-  
 paraveris, jure subirasci poteris) in  
 EXCELLENTISSIMARUM Virtutum  
 TUARUM decora, suis veluti coloribus  
 illustranda non nihil erumpam. Quam-  
 vis enim certum exploratumque habe-  
 am, ut corpus umbram, sic virtutem  
 eximiam comitari gloriam; perspectum  
 ta-



tamen & illud mihi est, quod nulla pretiosior Virtuti statua poni possit honorifica & fideli memoria. Pauca igitur tantum modò de Virtutibus, dotibusque Naturæ TUÆ Excellentissimis honorifice, ac fideliter memorabo prius, quam ut devotum hoc, Nominique TUO EXCELLENTISSIMO consecratum officium, ac per exiguum munus benevole à TE suscipiendum postulem.

Et quidem: ut à retro acta hominum memoria exordium faciam; sive Majorum TUORUM gloriam per Inclytum hocce Regnum triumphantem, sive sanguinem ab Illustri Virtutum titulo resplendentem considerem, utraque ex parte gloriosos, utraque Excellentes Majores TUOS, posterisque pie suspiciendos deprehendo. Sive deinde foris pro salute Patriæ optata fidelitatem, sive domi pro instituenda rebus difficillimis Republica consilii dexteritatem intuear; ex neutra aliquid desiderari, ex neutra quidpiam deesse; immo: ob genuinas has

Virtutes perenni ipsos celebrandos memoria, plurimis Eruditorum monumentis edoceor. Fuit, Fuit nimirum quoddam tempus, quo dum fœdissimus, atq; infensissimus Christiani Nominis hostis Turca, ad Belgradum sævissime grassaretur, vitam pro Patria, animam pro suorum salute in castris post diuturnas laborum vicissitudines, post calamitosissimas curarum ærumnas, Omnipotenti DEO commendavit, obtulit, consecravit Comes *Joannes Barkóczy*. Fuit & aliud tempus, quo alter domi Consilii sui felicitate Patriæ prosperando, Regno peropportune consulendo, negotia publica, dexterrime gubernabat.

EXCELLENTISSIME ILLUSTRIS-  
 ME, ac REVERENDISSIME, DOMINE  
 PRÆSUL! Ex horum TU sanguine clarif-  
 simo particulam procul dubio sumfisti  
 Nobilissimam, horum Virtutes in TE, non  
 tantum ut in illis splendent, sed & splen-  
 didiores de die in diem assurgunt. Nec  
 mirum: *Generi enim humano id prope natu-*

*ra datum est, ut qua in Familia laus aliqua  
 floruerit, hanc fere qui ejus sunt stirpis avi-  
 dissime persequantur. Cic. pro Cajo Rabi.  
 Persequeris profecto TU, & ita quidem  
 persequeris, ut & Illustrem Sangvinem  
 TUUM à Majoribus acceptum longissime  
 honoribus promoveas, & Virtutes eo-  
 rum præstantissimas, in Excelsa Vene-  
 randæ Frontis TUÆ Imagine, velut in  
 speculo repræsentari facias. Hinc fa-  
 ctum est communi Patriæ applausu, ut  
 Agriensis Ecclesiæ Infula decorato Epi-  
 scopali, negotia Regni hujus flo-  
 rentissimi gravissima, demandata sint.  
 Quod vero ad Consilii TUI dexterita-  
 tem attinet, non dubito; quin totus  
 Sapientum hinc assistentium Consessus,  
 in meam iturus sit sententiam: ob  
 hanc nimirum TE in numerum Purpu-  
 ratorum Senatorum adlectum, ob hanc  
 in Membrum Septem-Viralis TABULÆ,  
 propter sapientiam & æquitatem septem  
 Græciæ Sapientibus comparandæ ele-  
 ctum fuisse. Quid vero dicam de con-  
 jun-*

juncta cum his auctoritate TUA , qua  
 ut virga sua Mercurius dissidentes ser-  
 pentes , sic TU animos à conjunctione  
 morum , & amorum semotos compo-  
 nere , ac ad mutuam alterius ab altero  
 dilectionem revocare afoles ? Quid  
 de TUI demissione , quæ singulariter  
 suspiciendam Majestatem TUAM ita  
 moderatur , ut ad quemlibet etiam  
 fortis postremæ filium benigne , svavi-  
 terque amplectendum TE demittas ?  
 Inter has autem Comitas TUA singu-  
 laris , ac mansuetudo cum Justitia  
 copulata ita eminent , ut propter illam  
 difficillimis in negotiis plurimi omni-  
 bus votis TE Judicem quæritent , &  
 exoptent : quandoquidem non so-  
 lum in judicando , & decernendo TE  
 æquissimum , sed & Patrem in soven-  
 do mansuetissimum experiantur. Quæ  
 singula naturæ charismata TIBI pro-  
 digaliter concessa , novisti ea lege par-  
 tiri , ut partem Patriæ TUÆ charissi-  
 mæ , partem alteram , Concivilibus  
 TU-

**TUIS** lubens impendas; peroptime effati memor illius : *Non nobis nati sumus, ortusque nostri partem Patria sibi vindicat, partem amici.* Cic. 1. off.

Jam verò quemadmodum Simonides, olim quærenti Hieroni quid esset **DEUS** ? ut responderet diem sibi deliberandi petiit ; dum verò iterum quæreret, biduum postulavit ; & dum sæpiùs atque iterum percontatus fuisset, duplicatos semper dies desideravit : eo, quod longiori Virtutum Divinarum speculatione, plures atque plures adinveniret perfectiones, explicatu prioribus difficiliiores ; ita ego horas hodie duplicatas exposcere deberem ab hoc sapientissimo Virorum Illustrium Confessu, si Virtutes **TUAS** pro dignitate earundem recensere intenderem. Quo enim plures pro modulo meo illustrare contendo, eo plures in mentem veniunt. Unde omnibus prætermiſſis, unicam duntaxat Eloquentiam **TUAM** commemorabo : si enim

enim in Teste princeps Virtutum spectatur *Fides*, & in Patrono *Eloquentia*, pessimè profecto rebus meis consultum irem, si **TUAM EXCELLENTISSIME COMES** copiosè, & sapienter loquendi facilitatem missam facerem, si quidem hæc unica est cui tribuendum puto, quod **TE** in **Primaria Celeberrimi hujus Regni Dignitate** constitutum venerari possimus. Re è enim à Sapien-  
 teritorum accepimus: *Duas tantum esse artes, quæ in amplissimo dignitatis gradu hominem locare possunt; unam Imperatoris; alteram eloquentis boni. Ab hoc enim pacis ornamenta retinentur, ab illo pericula belli repelluntur.* A priori quidem **TE** in hunc honoris gradum eventum celebrare non possumus, nisi in eo, quem moralem dicimus sensu, intelligenda res foret; mundum nempe, carnem, ac teterrimum nominis humani hostem per **TE** devictos, & idcirco in **Sacrum Ecclesiæ DEI ANTI-**

**TI-**

TISTITEM evectum , ut fortem sub Vexillo CHRISTI Imperatorem ageres, & tanquam *Ductor fortis , ac Bellator optimus* illis , quorum stipendium æternum est , coram DEO & hominibus , sapientia , virtute & studio , VIR MAGNUS imperitares. Quod verò posterior eloquentia scilicet ( ut pro aris , ac focis Patriæ , pro ornamentis tam publicæ , quàm privatæ pacis sapienter perorares ) TE inter Primarios Patriæ Consules numerari quam optime fecerit , nemo non videt. Magna nimirum est Eloquentia TUA , quâ impossibilia etiam sæpè , possibilia redduntur , magna denique est ; nam ut paucis multa complectar ; jure ego de TE , quod C. Plinius de Isæo , dixero : *Proæmiaris apte , narras aperte , pugnas acriter , colligis fortiter , ornas excelsè , delectas afficis.* Lib. 2. Ep. 3.

Hæc sunt Ornamenta EXCELLENTISSIME , ac ILLUSTRISSIME DOMINE

NE COMES, quæ naturam TUAM multis excellentiorem faciunt: Hæc sunt quæ Labori meo biennali Philosophico, ac Operi Geometrico cui illum adnexui, pondus ac momentum addunt gravissimum. Fateor enim ingenuè, me laborum meorum non tam auspiciem, quam vindicem, uno verbo Philosophum quæsisivisse. Quod utrum affectus sim? Testem appello Urbem ab optimis disciplinis commendatam plurimum, cultiorumq; scientiarum sedem Romam, quæ etiam gloriabatur aliquando TE non tam vidisse, quàm de diversis quoque scientiarum generibus privatim æque, ac publice, secundum innatam TIBI rerum perspiciendarum sagacitatem, alacriter, juxtaque sapienter disceptantem audivisse. Sed non est cur aliunde petam argumenta, cum de hac re omnes illi testimonia perhibitori sint firmissima, quibuscum sæpe, sæpissime de optimis studiis sermones habere non dedignaris, in quarum promo-

tio-



tione ( exemplo sunt manifesto Jura Agriensia ) indefesse desudas.

Hæc ipsa sunt etiam argumenta , quibus permotus in publica hac luce, ac *Vestra Omnium* expectatione manum Philosophiæ meæ supremam impositurus , consisto , quam efficacissimæ Protectioni TUÆ ANTISTES EXCELLENTISSIME substerno, altoque Patrocinio quam demississime commendo. Hinc libenter illam amicis æque , ac inimicis probandam vel improbandam propono , pace mea carpat , qui volet , officii tamen ratio postulat , ut cum à coronatis Virtutum TUARUM radiis COMES EXCELLENTISSIME illuminetur , à lividis Zoilorum morsibus intacta consistat , ac perseveret. Nihil ergo jam superest , nisi ut hoc quale quale venerationis officium , præclaris animi TUI dotibus sapientia præprimis, æquitate , clementia , liberalitate , munificentia benevole susceptum promovere digneris , nihilq; magis intendas , quam ut hoc perenne

ve-

veluti gratique animi mei monumen-  
tum, æternum extare cures; meque  
qui tantam gloriam TUAM, dignamq;  
principe Majestatem, humili voluntate  
deveneror, in numerum Clientum Tuo-  
rum admittas: Hoc si contigerit; læ-  
tus, alacer, & imperterritus tela telis  
adversariorum retundam, & dum opta-  
tum sub gloriosissimis auspiciis TUIS  
terminum studii mei Philosophici im-  
posuero, fructum laborum meorum  
me cæpisse amplissimum  
arbitrabor

D I X I.

